

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

set. Erant Calendæ Augusti, & memoria vinculorum Petri, quam' materialm facile intelligitis splendescere. Id quod conjiciebam, evenit, nemo aderat, concionem ego *in T. πραγμάτων* habui, quæ ita movit hominem, ut horum, quæ supra posui, scelerum in publico consilio me arcesseret: non ipse quidem pro se; sed per Diacolum, quem Pastoris sui causa, nulla à me re lassum inimicitias mecum susciperet oportuit. Res non composita quidem est, sed mea laudata modestia, quod ejus furori cesserim; illius reprehensa insanía, qui in fratre, cui gratias debebat, officium accusarit. Hæc ut videtis, planè familiariter: Opto vobis valetudinem firmam, animi & doctrinæ incrementa, honorum & autoritatis accessionem, arate & doctrina dignam, ut non tam doctiores quam auctoritatores (utar enim barbaro vocabulo) ad nos redeatis. Ego tametsi Atlantem me non possum profiteri, tamen Herculem requiro, qui non lasso, sed impari his oneribus supponat humeros. Reverendo D. D. Sulcero, patri colendo, me commendabitis. Valete. Argentorato raptim, *euγενέμως* dì 9. Augusti, 1571.

Vester ex aſſe

Joh. Pappus.



LXIII.

Sen tibi filios utrumque sospitem corpore, & quod magis cupis animo. Nam quod affectum attinet, quo M. Philippus laborat, in spe sunt optima Medici, curari posse, & caveri ne abeat in fistulam, modò convenientia remedia adhibeantur, eaque continuata. Sicut ex Doct. Isaaci scripto intelligis. Nec tamen inconsultè feceris, si super eodem etiam aliorum audias sententiam, in arte Medica, Chirurgicaque peritorum. Ac fortè expediret, eosdem etiam oculis contueri affectum. Verum de his protuia prudentia facile dispicies. Quod si hic eum curari velis, nihil intermittent, scio, diligentia nostri medici, pro summo, quo te & ipsum prosequuntur, amore. Tubingæ audimus grassari pestem, sicut & Constantiæ, quo nomine aliquot studiosi jam hoc convolarunt. Subito eam per plures jam vicos serpissse ferunt, statim à discessu Doctoris Andreae, ut Rector Academiæ discessionem illis suaserit. Quæ ibidem Piscator egerit, indicavit tuus contubernalis, cuius adventus mihi fuit gratissimus. Idem de restaurata tibi valetudine lætissimum nuncium attulit. Eam præcor tibi diutissime integrum firmamque. Cæterum tristem casum accidisse audimus ob fulmine tactos peremptosque aliquos

quot ex ministris & Professoribus. Quia si sic habet, ut fama semel tulit, est, ut dolcamus, judiciumque agnoscamus Domini, cui occurrentum sit seca pénitentia. Speramus autem meliora. Doct. Jacobum Andreæ ad te pervenisse arbitror, ac demiror tam diu Mompelgardi hæsisse. Gravis oportet causa intervenerit, qua sit retentus. Ad te enim properabat. Nos hic salvissumus per DEI gratiam. Expectamus autem, quid de nobis statuat Dominus. Commendo te gratiae DEI. Scripsi Basileæ, 15. Augusti, Anno 1571.

R. d. 2. 1571.

Sulcerus.

LXIV.

Salutem in salute nostra Iesu.

T Ameti una cum Hero Friburgum excurrere initio decreveram, maxime vos ut viderem & alloquereret, tamen cum ea mihi non datur occasio, & doleo vehementer, & aliquantulum gaudeo. Doleo & quidem, ut dixi, vehementer doles, me iis de causis detineri, que Ecclesiæ & Scholæ à discessu Wæislandi tristissimo acciderunt, ut ad M. Philippum scribam: & sine quibus tamen mihi manendum fuisset. Gadeo quod sperem, me reverso D. Doctore idem Basileæ apud vos posse agere, quod nunc Friburgi: & quidem diutius illuc, quam hic. D. Doctorem Jacobum Andreæ non ignoras hic venturum fuisse. Venit autem pridie Laurentii, sed nobis minime conciis. Postridie antemeridianum tempus Colloquo privato Heri cum ipso tributum est. A meridie adfuit in præsentia Pastorum etiam Illyricus, cuius ego partem postremam duabus horis audivi. Prioribus enim concio minima meditanda & habenda fuit. Deprehendimus nos, eandem esse ill. & D. Andreæ sententiam; neque hic negabat. Sed cum ille Accidens detestaretur, iste Substantiam rejiceret, ita discessum est, ut quia D. Jacobus domum postridie redditurus esset, per literas deinceps concordia tentetur, quia qualis futura sit, nondum video. Illyricus non obscure abjecturum se suam substantiam nobis erat pollicitus, sed altero, Accidens ut affirmaret, urgente, nihil potuit confici. Sed de hac re per proximam occasionem plura. Eo vesperi quod calus tristis nos convenire universos non sinebat, Herus & ego cum D. Jacobo & comitibus ejus ad insigne Corvi cenari sumus. Ubi Friderici Wærtbergici Praeceptor maximo me oravit opere, ut à te librum Emblematum poscerem, eumque hic prius aliquorum chirographis ornatum Tübingam mitterem. M. Piscator Tübingæ fuit mense Junio, & contulit cum reliquis Theologis,